



# **Disputationum ethicarum secunda de virtutibus in specie, nominatim temperantia, ex 10. 11. 12. capp. 3. Eth.**

<https://hdl.handle.net/1874/340894>

DISPUTATIONUM ETHICARUM  
 SECUNDA,  
 DE  
 VIRTVTIBVS IN SPECIE,  
 Nominatim  
 TEMPERANTIA.

Ex. 10. 11. 12. Capp. 3. Eth.

QUAM

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI,

Lib. Art. Mag. & Philosophiæ in Almâ Ultrajectinâ

Professoris Ordinarii,

Publicè defendere conabitur.

PETRVS AB EYNDHOVEN Ultraject.

Ad diem 26. Febr. & 1. Martij, horâ 2. pomeridianâ.



Natura & Industria.

TRAJECTI ad RHENUM,  
 Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,  
 ANNO M. DC. XLV.



*Clarissimis, Doctissimis, Acutissimis Viris,*

D. IVSTO LYRÆO,

D. ARNOLDO SENGVER-  
DIO,

D. DANIELI BERCKRIN-  
GERO,

D. PAVLO VOET,

Illi Hu-  
maniorū  
Literarū:

His in A-  
cademiā  
Trajecti-  
nā Philo-  
sophiæ  
Professo-  
ribus di-  
gnissimis:

*Hæc de Temperantiâ theses, in perpetuâ  
observantiâ signum,*

Offert & inscribit

PETRUS ab EYNDHOVEN,  
*Respondens.*

DISPUTATIONUM ETHICARUM  
SECUNDA,

DE  
VIRTUTIBVS IN SPECIE,

*Nominatim*

TEMPERANTIA.

*Ex. 10. 11. 12. Capp. 3. Eth.*

THESIS I.

**P**roximè post Fortitudinem incedit Philosophus in sermonem de Temperantiâ, fortassis ideò, quia sicut illa irascibilem facultatem disponit, ita hæc concupiscibilem, sicut illa animum hominis & cor componit in molestis ac doloificis, ita hæc ejusdem jecur in jucundis & voluptificis. Utraque necessaria, illa foris & in negotio, hæc domi & in ocio.

II.

Utut sit, proximè saltem nectit ac connectit Fortitudini Temperantiam, quam definit, quòd sit μεσότης περιλάς ἰδούσας ἐλύσας, id est, περι τὰ ἡδέα καὶ λύπησ. Quibus verbis signare videtur Objectum Temperantiæ, verùm imperfectè atque ex parte: Immo verò non imperfectè, quia ex objecto hoc externo, tanquam notiori, præcipi ac percipi vult internum, tanquam ignotius, quod familiare Philosophis, ubi philosophantur de moribus.

III.

Universe, quemadmodum aliarum virtutum, ita hujus, Objectum duplex, Internum videlicet & Externum.

IV.

Objectum Internum Temperantiæ est Cupiditas, non quævis, non

utique vel pecuniæ, cujus coercitionem profitentur Liberalitas & Magnificencia, vel honoris & gloriæ, in quam imperium sibi deposcunt Magnanimitas & Modestia, vel vindictæ, circa quam desudando desudascit Mansuetudo, verùm Voluptatis, nec hujus cujusvis, sed determinatæ.

V.

*Externum Objectum Temperantiæ est ipsissima hæc Voluptas, eaq̃ tam præsens, quàm absens & expetita: illa principaliter & per se, hæc minùs principaliter, atque etiam per accidens, seu ex eventu, quatenus nimirùm sui absentia gignit Dolorem, quemadmodum navis everisæ per se causa est maris tempestas, ex eventu gubernatoris absentia.*

VI.

*Circa utrumque occupando occupatur Temperantia, id est, circa Voluptatem & Dolorem, verùm inæqualiter, hoc est, universè magis circa Voluptatem, quàm circa Dolorem. Colligere id quidem licet, partim ex medio, quia virtus versatur in difficilioribus, difficilius autem resistere voluptatibus, quàm doloribus, eò quòd voluptates sint blandæ dominæ, & quasi latens hostis, dolor verò hostis apertus, partim ex extremo, quia omnibus notum intemperantem esse eum qui immoderate utitur voluptatibus, ideoq̃ omnes, in suo tamen genere, promiscuè expetit, iisq̃ nimis quàm cupide fruitur, ad eò quidem, ut non leviter quoq̃ doleat, si quando desideratis voluptatibus non datur uti frui, ecur? nisi quia ea, quæ jucunda sunt, aut certè jucundissima, omnibus rebus habeat potiora. Quæ causa, quare & in definiendo objecto temperantiæ à potiori ferè fiat denominatio, hoc est, à Voluptate, & non à Dolorè, quia enim magis attinetur circa illam, quàm circa istum, ut dictum.*

VII.

*Neq̃ obstat, quòd Virtutes in genere versentur circa Voluptates & Dolores: Quia enim circa hæc versantur, tanquam objectum commune, hoc est, circa Voluptatem & Dolorem in genere, consequentem omnem affectum aut actum, enim verò temperantia circa eadem*

dem, tanquam objectum proprium, perinde ut fortitudo circa fiducia & terribilia, tanquam domesticam materiam.

### VIII.

Non magis, quod fortitudo in specie occupetur & ipsa circa dolorem. Neque enim dolor *ἁσάντες*, & eodem modo, est objectum illius & istius, verum *καὶ ἄλλον ἢ ἄλλον ὑπολήψεις τρέπον*. Fortitudini namque per se subicitur dolor, cum adsunt, quæ dolorem afferunt, temperantiæ verò per accidens, quatenus absunt, quæ voluptatem creant, hoc est, fortitudo versatur circa dolorem *ὅτι τῆ παρσιῶν λυπηρῶν*, quatenus docet, ea non ita fugienda esse, ut ob eorum fugam quicquam quis velit committere, quod turpe sit, aut ab honestate alienum, temperantiæ verò *ὅτι τῆ ἀπειρίας ἢ ἰδέων*, quatenus videlicet minus dolet, se voluptatibus plus, quàm par est, non perfrui, adeoque earum absentia non angitur, neque molestè fert, etiamsi nullis sit in voluptatibus. Tribus, quod ajunt, verbis: Fortitudo universè magis occupatur circa Dolores, Temperantiæ verò circa Voluptates, non contrà.

### IX.

Occupatur occupatur ergò Temperantiæ præcipuè circa Voluptates: sed non omnes promiscuè. Non utique circa Voluptates Animi. Sunt autem voluptates animi, in quibus nihil afficitur corpus, sed *διάνοια* potiùs, hoc est, *ψυχῆ* parte positâ pro toto. His qui sunt dediti mediocriter aut nimium, nã illi neque temperantes neque intemperantes appellantur, verum aliis propriisq̃ nominibus, Eccur? Quia enim hæ hujus generis voluptatis *ἀτλῶς* bonæ sunt, cum capiantur ex rebus naturâ jucundis, non ex eventu, seu per accidens, ideoq̃; nec excessu vitio sæ, sed quò majores hoc meliores, sicut operationes, unde manant, quæ per se ipsæ, non per aliud, expetuntur, proptereaq̃; & voluptates his adjuncte. Quis enim unquã rectè aut justè plus, quàm par est, fecit? Quis de rectè factis & justitiæ operibus majorem, quàm oportuit, voluptatem cepit? Quis contemplationibus, vel Metaphysicis, vel Physicis, vel Mathematicis, plus quàm par est, lætatus est? Q. D.

*Circa eas voluptates, secundum quas nemo temperans aut in-  
temperans dicitur, non versatur temperantia, aut intemperantia.  
Voluptates animi sunt hujusmodi: Ergò.*

Quamvis enim voluptates animi propter se sint expetendæ, quia tamen in iis nimium non reperitur, & proinde neque peccatum neque vitium, eâ re voluptate bonorum animi hinc non utimur. Et hoc hoc est, quod ait Aristoteles, ἐχοντα δ' ὑπερβολὴν. Nam virtutes sunt illæ quidem αἰρεταὶ καὶ αὐτὰς, ἐκέρχουσαι δ' ὑπερβολὴν, ut alia fortunæ bona, quæ, quò auctiora & majora, hoc magis nocent, non item contemplatio prudentia virtusvè, quæ, si alicui interdum noxiæ, sit id haud dubiè per accidens. Cum enim v. g. contemplatio intertumentum affert corpori, id non facit, quâ contemplatio, quia sic per se bona est ut quæ perficiat animam, sed quâ talis contemplatio. Sicut enim salubria, et sua naturâ bona sunt, nocent tamen interdum, atque ita eventu mala sunt: Sic & contemplatio, quando obest sanitati, consumendo de spiritu, qui debebat penetrare ad alias partes corporis, ad illud reficiendum, eventu mala, per se non item.

X.

*Sed nec circa Voluptates Corporis omnes, putà per se. Sunt autem voluptates corporis, quæ sensuum adminiculo fiunt, ideoque ad animum ita spectant, ut corpus etiam afficiant. Non utique circa eas, quæ ex Visu Auditu & Oloratu percipiuntur, quibus qui sunt dediti mediocriter aut nimium, & ipsi neque temperantes neque intemperantes appellantur, verùm propriis iterum aliisque nominibus, Ecceur? Quia enim neque hic excessus cavendus est, quasi per se vitiosus sit, sed hætenus tantùm, ne impediatur actio- nes eas, quæ per se bonæ sunt, & sine maleficio non possunt omitti, aut ne affligat valetudinem, vel rem familiaris sic voluptuantis. Quis enim intemperantem vocitet eum, qui intuens pictas tabulas, signa, statuas, pocula, vasa, gemmas, oculos atque animum his pascit, dummodò eam voluptatem non referat ad obscenitatem aut ingluviem? Quis intemperantem eum, qui venustæ puellæ aspectu delectatur, dummodò hanc non concupiscat*

piscat inordinate? Quis intemperantem eum, qui acroamatum  
 dramatum, cantionum, fabularum audiendarum cupiditate du-  
 citur, dummodò non in his amet petulantiam lasciviam proter-  
 vritatem? Unde Philosophus in Eudemiis negat fuisse ἀκολάστους  
 eos, qui Sirenum cantu capti fuerunt. Quis intemperantem eum,  
 qui malorum florum que variorum odoribus capitur, vel etiam  
 ciborum ac poruum, dummodò voluptate gulam immoderatè  
 explendi non extimuletur? Nisi fortè ex eventu, seu per acci-  
 dens, id est, aliene cause interventu. Propriè siquidè hæ voluptates  
 ad intemperantiam non pertinent: possunt tamen aliquo modo  
 pertinere, eâ nempe ratione, quia verè intemperantes his quo-  
 que delectantur, eò quòd voluptatum ipsis propriarum recorda-  
 tionem excitent, adeò que memoriam reficient, aut spem faciant  
 earum voluptatum, quæ directè spectant ad intemperantiam,  
 quomodo etiam bestia ex his sensibus voluptatem percipiunt,  
 per se non item. Sic leo gaudet aspectu capellæ, lupus auditu  
 oviculæ balantis, canis odore lepusculi, non per se, sed per acci-  
 dens, quia sentiunt sibi adesse escam & pastum, argumento, quòd  
 si nequeant potiri illâ prædâ, leo capellâ, lupus oviculâ, canis  
 lepuscule, afficiantur tristitiâ, etiamsi ille videat capellam, iste  
 audiat oviculam, hic odoretur lepuscule. Licet quidem volup-  
 tatibus oculorû autiû & natiû uti, ut modicè ita immodicè, adeo-  
 que etiam in his habet locum medium nimium & parum, verùm  
 luxus ille, vel contrariæ sordes, verbi gratiâ, in tabulis acroama-  
 tis thymiamatis, ad Liberalitatem & Magnificentiam referuntur  
 rectius, quarum proprium τὸ φιλόκαλον. Etenim & istæ volupta-  
 tes debent esse materia alicujus virtutis, & circa eas videtur  
 etiam versari debere quardâ mediocritas & quidâ excessus ac de-  
 fectus, quæ mediocritas & qui excessus ac defectus, debent  
 utique reduci ad aliquam categoriam virtutum, & oppositorum  
 vitiorum.

XI.

*Ergò circa eas voluptates, quæ percipiuntur ex Gustu & Tactu, tum*  
 quia ipso excessu per se vitiosa sunt, ideo que virtute moderandæ,  
 tum quia communissimæ, ut quæ nobis communes cum bestiis,  
 quæ per



quæ per alios sensus non capiunt voluptatem, nisi per accidens, præsertim ex sensu visus & auditus, fortassis quia aspectus & aurium voluptates cum mentis voluptate cognationem habent, eò quòd in harmoniâ consistant, jam verò harmonia nulla absque ordine, qui est mentis.

## XII.

*Sed nec circa has quidem equaliter, id est, universè magis circa Voluptates Tactus, quàm Gustus, partim ratione extensionis, quia tactus per totum corpus diffunditur, gustus verò in exiguis tantum corporis partibus se prodit, putà linguâ palato & summo gutture, & verò omni animali competit, cum nullum sit, quod careat tactu, cum alia careant aliis sensibus, partim ratione intentionis, quia enim gustatu magis utimur ad iudicium saporum, quorum fructio ac perfructio, tota in tactu, argumento, quod aliqui voluptas non capitur ab iis, qui pitissando vina probant, aut obsonia condiunt, omnesque suavitates ore & naribus aucupantur, nisi totos cantharos exhauserint, & integras eduliorum patinas deglutierint. Quo fit, ut gurgites illi, qui vinum ita in guttur suum infundunt, tanquam in utrem aliquem, cum Philoxeno non optent sibi longiores linguas, sed colla. Quasi diceret Philosophus:*

*Circa illas voluptates, quibus magis gaudet intemperans, temperantia versatur: At voluptatibus tactus magis gaudet intemperans: Ergò.*

Minorem probat sic:

*Is, qui non multum delectatur iudicio saporū, sed magis comestione & bibitione, gaudet magis voluptatibus tactus quàm gustus: Intemperans est huiusmodi: Ergò.*

Ὡς ἴτα τῆ μὲν δόξῃ περὶ δύο τῶν αἰσθητῶν, περὶ τε τὸ ἄστυ, ἢ τὸ ἀπτόν  
versetur temperantia, ἢ δὲ ἀλυθεία περὶ τὸ ἀπτόν. Dicat aliquis:  
An ergò gustatu nihil omnino utitur intemperans? Respondet  
Philosophus, aut nihil, aut perparum, vel etiam perperam.  
Nam ratione iudicii, quo gustans sapores discernit, non utitur,  
sed ratione tactus cum gustatu conjuncti, idque excessivè. Quo  
lo co

loco notandum, duplicem dari gustatum, imperfectum videlicet & perfectum. Gustatus imperfectus discernit tantum convenientes & inconvenientes nutritivum, ut animal sumat cibos convenientes, fugiat contrarios, atque hic gustus tactus quidam est, saltem confusus cum tactu. Gustatus perfectus discernit insuper differentias saporum, estque precipue in homine. Nullum quippe animal magis gaudet differentiis saporum, quam homo, animalium delicatissimum.

### XIII.

*Quin immo nec circa omnes Tactus Voluptates.* Sunt enim alie Liberales, alie Serviles. Liberales sunt, que ex frictionibus & calefactionis gymnasticis ac balneariis percipiuntur, queque per totum corpus sparsae sunt. Hae a communi materia temperantiae exceptae debent intelligi, cum sint naturales. Tali enim frictione fit expulsio superfluitatis, & emissio sudoris e corpore, qualis tactus, & voluptas inde proveniens, non est vituperanda, cum bonum finem respiciat, videlicet valetudinis curationem, debitoque modo adhibita vitale robur excitet. Serviles sunt reliquae in hoc genere. Quae res facit ad majorem turpitudinem intemperantiae, ut quae ex voluptatibus tactus magis ingenuis honestiores non attingat, versetur vero in scditionibus.

### XIV.

*Circa quas ergo, si neque circa illas, neque circa istas, neque circa has, saltem non omnes? Circa eas, inquam, Tactus, Voluptates, quae in determinatis corporis partibus, ex Gula videlicet & Inguine, percipiuntur.* Voluptates haec universae vel Naturales sunt, & totius speciei communes, ut Cibi Potus Veneris, vel Adventitiae, & unicuique, peculiare, ut hujus Cibi Potus Veneris: Ille necessariae ad conservationem, partim individui, ut ille, quae percipiuntur ex cibo & potu, partim speciei, ut ea, quae ex Venere, quae necessariae non pro generatione ejus individui, in quo se exerunt, sed pro generatione alterius individui, cujus causa se exerunt, haec non ita quidem necessariae, utiles tamen, & sua sponte naturae expetendae: Illae absolute tales, haec comparate, pro generibus videlicet animalium, quomodo hordeum gratum asino pabulum, at caro cruda leoni, coctae homini. Ut ita, quemadmodum animalia distinguuntur genere, vel specie, sic ipsae voluptates

B

animales, aliae

alia simpliciter communes, quæ communiter delectant omnia  
 animalia, ut frigidum & humidum in potu, siccum & calidum  
 in cibo, alię huic aut illi tantum generi animalium, vel individuo,  
 communes, ut hoc frigidum & humidum in potu, hoc siccum & cali-  
 dum in cibo. Quod posterius genus voluptatum, ut sit adventiti-  
 um, habet tamē aliquid à naturā, eò quòd ipsa corporis constitutio  
 & crasis, quę naturalis est, multum conferat ad hoc vel illud expe-  
 tendum, quomodo videas melancholicos ferè amare amara, san-  
 guineos sua viscera, Septentrionales multam carnem & potum,  
 Meridionales olera & herbas. Temperantia non tam in commu-  
 nibus versatur voluptatibus, quàm in minis communibus & pro-  
 priis. Ecce? Quia enim in communibus & naturalibus volupta-  
 tibus pauci peccant, atque id uno modo, nempe in excessu, rati-  
 one videlicet ἀριστας καὶ ἀταξίας mediocritatem transfliētis. Per  
 se quippè vitium hic committi non potest, verum ratione quan-  
 titatis. Neque enim peccant, qui cibi ac potus tantum sumunt,  
 quantum satis ad sedandam famem situmvè: at edere & bibere,  
 quæcunque offeruntur, donec plenior sis, quàm naturā necessi-  
 tas postulat, hoc verò est modum naturæ convenientē copiam supe-  
 rare, quales homines Græcis dicuntur γαστρίδες, item γαστρίμαργοι.  
 ἀπὸ τῆς γαστρίδος ἢ γαστρίαινας, à ventre & furendo, quasi rabie vē-  
 tris accensi: Latinitatis studiosis, helluones, glutones, comedones,  
 vētres. Enimverò in voluptatibus propriis multi peccant, & mul-  
 tis modis, vel quòd iis rebus delectentur, quibus non oportet, v.  
 g. amoribus nuptę, vel quòd nimium delectentur, v. g. οἱ φιλοσοφί-  
 σται in genere, in specie verò οἱ φιλοθεάμενοι, φιλοῖνοι, φιλιχθύες,  
 φιλόπαιδες, φιλόγυνοι, id est, cuiuscunque; rei præter modum studiosis  
 nominatim spectaculorum, vini, piscium, liberorum, mulierum, vel  
 quòd ita, ut vulgus delectentur, hoc est, nullo discrimine, nullā ho-  
 nesti habitat ratione, quo morbo laborasse Parthos scribit Plinius,  
 quos, quia summā aviditate indiscretos cibos caperent, plerisque  
 fœtidā animā fuisse ait, vel, quòd non ita, ut oportet, delecten-  
 tur, v. g. epulis in publico, aut in diversoriis, vel cum infamibus  
 sodalibus, vel quòd non, quā parte oportet, delectentur, v. g. πα-  
 τella.

telle parte delicatiori, & si quæ aliæ circumstantiæ in fruendis voluptatibus occurrere solent.

XV.

Hoc loco animadversione dignū, quāto artificio Philosophus investiget materiā propriā tēperatiæ, procedēdo per plures cōclusiones, incipiens à quodā universali, & gradatim descēdens ad quoddā particulare proprium. Primò enim ostendit hanc cōclusionem, quòd tēperantia versetur circa voluptates, & quoquo modo circa dolores: Secundò, quòd non versetur circa voluptates animi. Tertio, quòd versetur circa voluptates corporis: Quarto, quòd nō circa omnes voluptates corporis, non utique circa eas, quæ visu auditu & odoratu percipiuntur. Quintò, quòd circa eas voluptates corporis, quæ ex gustu vel tactu proveniunt: Sextò, quòd magis circa tactus voluptates, quàm gustus: Septimò, quòd non circa omnes tactus voluptates indifferenter, verum circa eas, quæ procedunt ex quodam tactu, id est, quæ percipiuntur ex partibus corporis determinatis, non ex toto corpore indeterminatè.

XVI.

*Finis, seu τὸ ἐννεα, Temperantia, ut aliarum virtutum, est τὸ Καλὸν, καὶ τὸ Πρέπον.* Sicut enim illicitas atque inhonestas voluptates ex unā parte averfatur, ita licitas & honestas ex alterā parte moderatè appetit, usque utitur fruitur eo, quo oportet, modo, neque immoderatè dolet, si fortè ne licitis quidem & honestis voluptatibus uti stui licet. In quibus universè quintuplex servat atque observat Decorum, Physicum scilicet, Ethicum, OEconomicum, Politicum, & Theologicum. Physicum hætenus, dum diætas voluptates refert ad *ὁσιότητα*, id est, ad bonam corporis constitutionē, rationē habens extrinsecè qualitatē & quantitatis, ejusque tam continuæ seu molis, quàm discretæ seu numeri, intrinsecè verò virtutis digestivæ. Ethicum hætenus, dum præter hæc curam gerit famæ & existimationis, loci item & temporis, cavens studiosè, ne quid voluptatum causâ faciat, quod nomen atque æstimationem lædat, ac ne licitis quidam voluptatibus quovis loco & tempore indulgēs. OEconomicum hætenus, dum rationem habet *ὁσιότητος καὶ ἐξουσίας*

non plus impendens in voluptates, quàm res familiaris patitur. Politicum & Theologicum hactenus, dum eas sectatur ac con-  
sectatur voluptates, quæ neque civili neque divinâ lege sunt pro-  
hibitæ.

XVII.

*Extrema Temperantiæ sunt, inde Intemperantiæ in Excessu, hinc Vi-  
tium Anonymum in Defectu, διὰ τὸ μὴ πᾶν γινώσκου, eò quòd pauci  
reperiantur, qui ellipticè, seu in defectu, hic peccent. Si cui enim  
nihil fuerit jucundum, nihilque differre alterum ab altero videat-  
ur, is profectò bis stupidus fuerit, atq; non ab humanitate tantùm,  
sed etiam animalitate, remotissimus. Non enim homines solùm,  
verùm etiam cætera animantes, quantumvis immanes & fera, ju-  
cunda secernunt à molestis. læta à tristibus, atq; illa quidem ample-  
ctuntur, hæc verò refugunt, sed homo vel maximè, qui, præterquàm  
quod habet cutem tenuissimã, ideoq; tactum exactissimũ, gustum  
quoq; habet elegantissimũ. Excessum Temperantiæ Græci vocant  
Ἀκολασίαν, tractã à pueris ἀκολάσις ἢ ἀπειθαγωγικὴς similitudi-  
ne ad intemperantes, eaq; non unã. Quemadmodum enim. I. pueri  
voluptatibus omnibus se temerè addicunt, nihil spectâtes, utrum  
honestæ sint, an turpes, utiles an noxiæ: ita intemperantes quibusvis  
voluptatibus sine judicio & delectu indulgent, posthabitã ratione  
honestatis & decori. II. Quæadmodum pueri, si suo permittantur  
arbitrio, exultant, lasciviunt, & luxuriant: ita intemperantes, nisi in  
rationis gyrum redigantur, exorbitant atq; evagantur longiùs. III.  
Quæadmodum pueros ex præscripto Pædagogorum vivere oportet,  
quia ob ætatis imbecillitatem nondum habent rationis usum:  
Sic eam animæ partẽ, quæ est sedes cupiditatũ, quia caret ratione,  
ex præscripto partis animæ, rationem habentis. IV. Quemadmo-  
dum pueri, licet rationis usum nõdum habeant, idonei tamen sunt,  
qui Pædagogorum præceptis obtemperent. Ita cupiditas, quamvis  
ratione careat, apta nata tamen parere rationi. V. Quemadmodum  
pueri ad fœdas libidines pecorum ritu feruntur, ideoq; Pædago-  
gum ferulã sunt corrigendi: ita cupiditas, quæ rerum turpium ap-  
petens est, geminam ob causam rationis imperio coercenda. De-  
fectum Temperantiæ Græci vocant Ἀναίσθησις, Insensibilitatem  
sive Stuporem, quæ vox vim vitii hujus non satis videtur exprime-*

re, cum hoc vitio laborantem oporteat, ut à voluptatibus omnino abesse, ita in doloribus excellere: atqui ἀραιόδυνος illud quidem habet, hoc non item, id est, abest quidem à voluptatibus, verum doloribus propterea tum non excruciat. Universe intemperans, & in voluptate peccat, & in dolore, ἀραιόδυνος verò in voluptate tantum. Intemperans siquidem voluptatibus invitus caret, ἀραιόδυνος suapte sponte, ideoque ille dolet, si desideratis voluptatibus non potest frui, non item hic, quia voluptas nemini invito obvenire, ac proinde neque dolorem afferre potest.

XVIII.

Ex duobus his extremis Intemperantia deterior est Ignavia & Timiditate. I. Quia actiones singulares, quibus comparatur temperantia, magis sunt voluntariæ, quam quibus comparatur fortitudo. Illæ enim circa voluptates versantur, hæ circa dolores, jam verò voluptates optabiles, dolores non item. Q. D.

Quæ cum voluptate juncta sunt, magis sunt voluntaria, quam quæ cum dolore quia voluptatem expetimus, dolorem verò fugimus: At intemperantia est juncta cum voluptate, ignavia verò & timiditas cum dolore: Ergo.

Et contra.

Quæ homini mentem ac voluntatem eripiunt, illa utique sunt minus voluntaria. Atque dolor hoc facit, voluptas non item, saltem non aequè, in illo autem vertitur ignavia & timiditas, in hac intemperantia: Ergo illæ hæc minus sunt voluntariæ.

Unde simul illud colligitur, intemperantiam odio ac reprehensione majori dignam, quam vel ignaviam, vel timiditatem. Quod enim vitia magis sunt voluntaria, hoc majorem reprehensionem incurrere ac mereri solent. II. Quia facilius multò, voluptatibus moderatè expetendis ac perfruendis, quam periculis intrepidè advenis ac sustinendis assuesceri. Illud enim crebras habet occasiones, & sine periculo, hoc raras, & cum periculo conjunctas. Q. D.

Quò facilius est, virtuti alicui assuescere, hoc scèdius ab eà desiscitur & declinatur ad extremum: At facilius est assuescere temperantia, quam fortitudini: Ergo scèdius ab eà desiscitur & declinatur ad oppositam intemperantiam, quam ab illà ad ignaviam & timiditatem, ideoque illa his deterior, non contra, quod erat τὸ κερύμανον, ἢ ζήτημα. Corol.

## Corollaria Textualia.

- I. **A**n cupiditas semper sit cum dolore conjuncta? *Aff.*
- II. **A**n voluptas, qua percipitur ex fabulis, sit animi, an verò corporis? *Dist.*
- III. **A**n vocabulum *ἀνομοσίας* seu insensibilitatis, in hac materiâ sit accipiendum negativè, an verò positivè? *Aff. Post.*
- IV. **A**n contrarium vocabulum *ἀνομοσίας* à pueris sit translatum ad intemperantes, an verò ab intemperantibus ad pueros? *Aff. Prius.*
- V. **A**n, quemadmodum habitus intemperantiæ est minus voluntarius, quàm ignaviæ, sic & actiones ejus, quibus acquiritur ille habitus? *Neg.*

## Corollaria Cognata.

- I. **A**n temperantia & intemperantia etiam cadant in bestias? *Neg.*
- II. **A**n temperantia quoq; fuerit in Adamo in statu integritatis? *Dist.*
- III. **A**n omnis abstinentia à cibo & potu sit virtus temperantiæ? *Neg.*
- IV. **A**n nominatim abstinentia, quæ vocatur negativa, in abscaso, abstemio, imbibesio, monacho, egroto, cive, metuente legem sumptuariam, vel convivariam? *Neg.*
- V. **A**nnon saltem abstinentia, quæ vocatur privativa? *Dist.*
- VI. **E**t an is temperans, qui abstinet ab uno cibo, & interea se implet alio? *Neg.*
- VII. **A**n delectus ciborum etiamnum sit necessarius, an verò arbitrarius & liber? *Neg. Prius. Aff. Post.*
- VIII. **A**deoq; an prohibitio sanguinis Apostolica fuerit absoluta, et non potius relativa, ideoque relativè necessaria? *Aff. Post.*
- IX. **A**n ergò liceat conficere cibum ex sanguine? *Aff.*
- X. **E**tiamnè ex carne, atque adeò, an licita *εὐνομοσύνη*? *Aff.*
- XI. **I**deoque rejicula ac rejectæve Pythagorica à carnibus abstinentia? *Aff.*
- XII. **A**n esus carniùm, vel potus vini, etiam ante diluvium fuerit in usu? *Aff.*
- XIII. **A**n licita *ἀνδρομοσύνη*, seu carnis humane visceratio? *Neg. Saltem*

- XIV. Saltem in extremo necessitatis casu? Neg.
- XV. Et, an liceat uti mumia? Dist.
- XVI. Aut de trunco decollati hominis bibere sanguinem ad depellen-  
dam epilepsiam? Aff.
- XVII. Itemne è venâ adolescentis ad conciliandum vigorem corpori  
senili? Neg.
- XVIII. Univerſè, annon cibi salubres sint præferendi delicatis? Aff.
- XIX. Adeoque statis diei temporibus sit capiendus cibus, an verò in-  
cideret, & pro re natâ? Aff. Prius.
- XX. Aut simpliciter illicitum, bis saturari de die? Neg.
- XXI. Et consequenter, an medicamentis ac rebus medicamentariis  
liceat uti, ut alimentis, aut condimentis, vel etiam temporis fal-  
lendi causâ, aut *συντάλαστος* ergò? Neg.
- XXII. Nominatim tabaco, & aquâ forti, seu aquâ vitæ? Neg.
- XXIII. Annon ebrius sit levius puniendus, quam sobrius, ceteris  
paribus? Aff.
- XXIV. Etiamne ebriosus, aut semiebrius? Neg.
- XXV. An simpliciter ab omni ebrietate sit abstinendum? Aff.
- XXVI. An ergò Noa peccârit, quod inebriatus sit? Neg.
- XXVII. Vtra plus noceat, ebrietasne, an voracitas? Aff. Prius.
- XXVIII. Atque adeo, annon ebrietate peior seortatio? Aff.
- XXIX. Omnisne abſtinentia à Venere sit virtus temperantiæ? Neg.
- XXX. An nominatim abſtinentia, quæ vocatur negativa, in eun-  
chis, leproſis, impuberibus seu minoribus? Neg.
- XXXI. Annon saltem abſtinentia, quæ vocatur privativa? Dist.
- XXXII. Præſertim in calibe? Aff.
- XXXIII. An castitas quoque locum habeat in conjugio? Aff.
- XXXIV. Et extra illud omnis Venus sit illicita? Aff.
- XXXV. Ideoque rectè prohibeantur lupanaria? Aff.

## Corollaria Respondentis.

### Ethica.

- I. **A**n unaqueque res appetat id, quod sibi bonum est? Aff.
- II. An omnia mendacia, etiam officiosissima, sint peccata? Aff.
- III. An actiones scenicae moderne careant vitiiis? Neg.
- IV. An liceat viro bono irasci? Aff.
- V. An



V. An is, qui degit vitam solitariam, sit vocandus felix? *Diff.*

VI. An affectus sint toto genere mali? *Neg.*

### Oeconomica.

I. An in matrimonio contrahendo, & uxore eligenda, morum atque honestatis sit habenda ratio? *Aff.*

II. An liceat uxorem suam repudiare ob supervenientem furoram? *Neg.*

III. An Ecclesiasticis exercere mercaturam? *Neg.*

IV. An pueri, si in moribus peccent, sint cadendi virgis? *Aff.*

### Politica.

I. An liceat magistratui Christiano bellum gerere? *Aff.*

II. An insurgere & consurgere in magistratum religionis causa? *Aff.*

III. An Religio sit finis absolutus Reipublicæ? *Neg.*

IV. An validi mendicantes in Republicâ bene constitutâ sint tolerandi? *Neg.*

A D

*Præstantiss. & Ornatiss. Juvenem,*

D. PETRUM AB EYNDHOVEN,

DE

TEMPERANTIA,  
cum laude disputantem.

UNanimis socios quondam solertis Ulyssis,  
Detinuit dulci, Lotos amanda, cibo.

Majori tua corda trahunt dulcedine Musæ,

Ac Tibi cuncta simul dona petenda ferunt.

Quid mirum, si docta tuo fluit ore loquela?

Ora Tibi & mentem Turba Novena colit.

Gnaviter Aoniis perge impallefcere Musis,

Ardua si toleras certa brabeia feres.

*In Amicitia signum*

*Scribebam*

T. van EYL, N.